


Propositio trigesima quinta.

Vocum magnitudines excrescunt in acumine non in grauitate, finis autem est in utroq; extremo, propter hoc minima facta uariatione in hypate acutæ uix ferunt.


Quoniam facta uariatione in hypate, quæ est in Diapason, uel bis Diapason maiore interuallo distat, uelut ex a in b in grauiore, maius est interuallum ex c in d, igitur maior est b d, quàm a c ergo singulæ uoces inter b & d magis distant, quàm inter a & c, & quanto magis appropinquant ad d, igitur d maius est quàm b. Ergo magnitudo est ratione acuitatis, non grauitatis, cum supposuerimus d esse acutiorem b & c ipso a. Ostenditur etiam idem quia uox grauis fit ex priuatione motus sicut acuta ex uehementia. Motus autem est res, quies, priuatio.

Diapason

Com.




Diapason



Secundum sic: nam remissio mota non feriet aurem, ideò sonum non pariet ob nimiam tarditatem. At in uelocissimo motu oportet uel fidem uel arteriam contrahi, & non contrahitur nisi per musculos, igitur contentio illa finem habet. Si autem non sit necessarium habere, uel ualde procul possit extendi contentio, ut in machinis igneis strepitus fit maximus, nam motus, ut motus est etiam in aère nullum finem per se habet nisi ratione instrumenti, ergo strepitus tantus esse potest, ut fermè obsurdescant, qui audierint, ut ferunt de Nili cataractis.

Tertium sic sit a b humilior uox, quæ excrescat semitonio minore solum in c, & sit d e dupla ad a b secundum naturam, ut in uocibus medijs fiet, ut si e debeat excrescere semitonio minore per decimam nonam quinti Elemētorum f e dupla c b, & in acutis ubi excreuerit ad diapason quadrupla: pueri autem uox, quæ iam diapason altior est d e, erit bis diapason, & ideò quadrupla b c, sed in acutioribus erit dupla, nullus enim puer est adeo fractæ uocis, qui supra humillimam non ascendat per diapason, igitur interuallum uocum erit octuplum a d, b c, sed communiter ascendunt ad bis diapason, igitur interuallum unius uocis etiam cum semitonio proportionem habentis est æquale fermè toti a b, cum autem in diapason sint duodecim semitonia, & duo comata, manifestum est, quod extensio illa erit maxima in cōparatione grauioris uocis a b. Et ideò minimum incrementum in humilioribus uocibus, ubi quis cogatur



C 3 tur